



Fol. 4° 31

πρὸς τῆς

ΠΡΟΣ ΕΥΣΕΒΕΙΑΝ
ΓΥΜΝΑΣΙΑΣ

SIVE

DE

EXERCITIO AD
PIETATEM,quatenus ex Scripturis divinis, maxime autem
ex dicto PAULI*I. ad Timoth. IV. v. 7.*

describi ac defendi potest,

EXERCITATIO POSITIVO-POLEMICA
ADSPIRANTE DEI GRATIA,
PRÆSIDEJOH. MICH. LANGIO,
Theol. Doct. ejusq; Prof. Publ. Or-
din. h. t. Ordinis sui Decano, nec non

Ecclesiæ Oppid. Ministro,

IN ACADEMIA ALTDORFINA

publicæ σωθεολογούντων disquisitioni

Quinto Nonarum Maji Anno MDCCII.


subjecta

ab

ANDREA THEOPHILO AMBERGERO,
Altdorfino, SS. Theol. Studiofo. *XXIII.*

Literis JODOCI GUILIELMI KOHLESII.

HOC EXERCITIO AD
 PIETATEM
 QUODAMmodo
 Auctoritate
 EXERCITIO
 AD PIETATIS
 JOHANNES MICHAEL
 Theol. Doct. Ordinar. Prof. etc.
 IN ACADEMIA ALTONENSI
 Anno MDCCLXXVIII
 PARS PRIMA





EXERCITATIONIS POSITIVO-POLEMICÆ

πρὸς τῆς

ΠΡΟΣ ΕΥΣΕΒΕΙΑΝ
ΓΥΜΝΑΣΙΑΣ,

CAPVT I.

*Doctrinam Prophetarum & Apostolorum de EXERCITIO PIETATIS, ex eorundem Documentis succin-
ctè tradens, ac deniq; breui descriptione Pietatis
Exercitium verè tale delineans.*

§. I.



Elebre est hoc, quod delineandum aggredimur; argumentum Theologicum, ut in omni Scriptura; ita præcipuè passim in Scriptis Apostoli PAVLI, qui nobis dicto quasi classico vel ipsum Lemma nostræ Dissertationis suggessit *I. Tim. IV. 7. γύμναζε, inquit, σεαυτὸν, πρὸς εὐσέβειαν* h. e. *exerce te metipsum ad Pietatem.* Addit v. 8. præcepto rationem: *Nam*

*(pergit) corporalis exercitatio parum habet utilitatis: sed Pietas est utilis ad omnia, atque habet vitæ presentis ac futuræ promissionem. Dices: Bene ita Paulus urfit Pietatis exercitium ac praxin: sed ad quid tua Dissertatio positivo-polemica de Exercitio ad pietatem? Num disputando edocebis Pietatis exercitium? Imò verò non! Praxis pietatis discitur actionibus homogeneis. Nostræ autem Dissertationis Academicæ finis est iste, qui omnium hujus generis exercitiorum esse solet, videlicet ut Studiosi discant adferere τὴν κατ' εὐσέβειαν διδασκαλίαν, Doctrinam, quæ secundum pietatem est, ut Pauli voce rursus utar ex *I. Tim. VI. v. 3.* Neque hoc exercitium simpliciter contemnendum est, prout pluribus edocuit B. JOH. ARNDIVS in *libr. I. de vero**

Christiani *fmo* cap. XXXIX. quem, qui vult, consulat. Cùm igitur ordo Exercitationem Academicam denuò à nobis postulet; quid prohibebit tale eligere Argumentum, quod ab utilitate vel ipse Paulus commendat?

II. *γυμνασία & γυμνάσιον*, à voce *γυμνός*, h. e. *Nudus*, termini sunt Agonistici. Olim namque nudi *Athletæ* quoque certabant, quæ sunt verba JACOBI LYDII in *Agonisticorum sacrorum Prolegomenis*. Placet adscribere, quod hanc in rem legimus apud ISIDORVM HISPALENSEM in *Etymolog. libr. XIIX. cap. XVII.* *Antea*, inquit, *in locis certantes cincti erant, ne nudarentur: post relaxato cingulo repente prostratus & exanimatus est quidam cursor, quare ex concilii decreto, tunc Archon Hippomenes, ut nudi deinceps omnes exercitarentur, permisit. Ex illo Gymnasium dictum est, quod juvenes nudi exercentur in campo, ubi sola tantum pudenda operiuntur.* Aliter tamen rem enarrat JOH. FASOLDVS in *Græcorum veterum Hierologia, decade I. §. XV. p. 45. 46.* qui ex Scholiographo Pindari, nec non ex Scholiaste Homeri refert, Primum ORSIPPVM XXXII. Olympiade nudum cœpisse certare, cùm antea subligacula seu velamina circa pudenda gestarent, & exinde etiam lege constitutum fuisse, ut nudi cursu contenderent. Pertinet huc, quod habet PAVSANAS in *Atticis* non adeo procul à fine (edit. Lugd. anno 1558.) pag. 164. *Orsippus, ait, cùm veteri Athletarum more cum subligaculo Gymnicos ludos obire consuesset; in Olympico tamen curriculo nudus vicit: -- Non invito crediderim Olympiæ subligaculam delapsam, nempe qui nosset, sine eo, multo quemvis esse ad cursum expeditiorem.* Conf. PETRI FABRI *Agonistica, libr. II. cap. II. pag. 117.* ubi veriora illa pronunciat, quæ Pausanias habet, quàm quæ Isidorus. Nos illam litem non faciemus nostram. Undecunque sit ritus nudo corpore certandi: hoc saltem certum est, quòd vocibus *γυμνάσιον & γυμνασία*, quæ à Paulo adhibentur, ad dictum ritum respiciatur.

III. Ad rem quod attinet; juvat monuisse ex ISIDORO *cit. loc. cap. XVIII. & seqq.* quod Ludorum Gymnicorum quinque genera obtinuerint: (1) *Saltus*, dictus, quasi exsilire in altum. Est enim saltus altius exsilire vel longius. (2) *Cursum*, qui à velocitate crurum vocatur. Est enim cursum celeritas pedum. (3) *Jactus*, dictus à jaciendo: Huic usus est, arreptos lapides procul ferire; hastas pondere librato jacere; sagittas arcu emittere: (4) *Virtus*, quæ est immensitas virium in labore & pondere corporis: (5) *Luctatio*, à laterum complexu vocata &c. Hæc ex Hispalensi Episcopo, quem Sanctis accensent, & quem anno 636. migrasse

migrasse

migrasse in cœlum, refert **BELLARMINVS** de *Scriptor. Eccles.*
(Edit. Colon. 1684.) p. 137.

IV. Non licet nunc digredi in loca Scripturæ varia, quæ ad di-
etorum Ludorum Gymnicorum genera alludunt variis phrasibus &
vocibus. Qui hæc desiderat, consulat vel exiguum libellum *Jaco-*
bi Lydii, (quem quis non adeo inconcinnè in plerisque dixerit *Petri*
Fabri, epitomatores) vel *maius opus Petri Fabri*, quondam Regii
Confiliarii, Libellorum Exmagistri & in Senatu Tholosano Præsidis,
Lugduni apud Fran. iscum Fabrum Anno MDXCII. in quarta forma edi-
tum, quod utrumque jam superius §. II. citavimus. Vnicum non
possum non addere de discrimine inter *τέλειος* & *τετελειωμένος*, quod,
uti insigniter mentem Pauli & aliorum Scriptorum sacrorum illustrat;
ita non mediocriter facit ad varias parum felices lites hodie exortas
de perfectione Christiana componendas. *τέλειοι* sive *Perfecti Ath-*
letæ erant, qui perfectè omnes exercitationes, aut unam aliquam, adhibita
laborum perpeffione, continentia & legitima victus ratione, percolendo ad-
didicerant, ita ut non incompositè, nec præter decorum aliorum pertrabe-
rentur, sed ad omnem partem, qua traduxisset adversarius, ipsi præsto essent,
& eo quoque ipsi manus operamque transferre scirent. Sunt hæc verba
Jac. Lydii cap. XXXV. p. 125. quæ eadem leguntur apud *Petrum Fabrum*
cit. loc. lib. III. cap. 10. p. 256. ex *Ephremo*, *Edifseno diacono*, deprom-
ta. Nec insuper habendum, quòd *τέλειοι* sive *perfecti* sint dicti va-
riarum ætatum homines, quilibet in genere suo: quanquam habita
comparatione, viri deinde potius, quàm pueri, (qui etiam in suo
genere *τέλειοι* seu *perfecti* esse poterant) nomen *τελείων* seu *Perfectorum*
obtinuerint: conf. *Lydiam cit. loc. pag. 130.* & *Fabrum cit. loc. pag. 257.*
τελειῶσαι autem seu *perfici*, atque sic porro *τετελειωμένοι* seu *Consum-*
mati dicebantur, qui præmia *τέλεια* consequerentur, tanquam tum demum
consummarentur, cum perfectionis præmiis officerentur ac consummati osten-
derentur. vid. *Lyd. cit. loc. pag. 13.* & *Fabrum p. 258.* Ex dictis lumen
adfunditur, ut aliis locis, ita præcipuè textui Paulino ad *Philipp. III.*
v. 12. & *15.* ubi omnino necesse est, distinguamus inter *τέλειον* &
τετελειωμένον. Nam *v. 12.* cum negasset Apostolus, se adhuc esse in
numero *τῶν τετελειωμένων* seu *Consummatorum*; mox tamen addit
v. 15: Quotquot igitur sumus *τέλειοι* h. e. *Perfecti*. Commodissimè di-
xeris, secundum ea, quæ ex arte Gymnastica adduximus, Paulum
v. 12. negare, se jam tunc, cum ista scriberet, in censu eorum fuisse,

qui cursu feliciter consummato, perfectionis præmio afficiantur: quales sanè nonnisi beati in altera vita sunt, quorum statum nullo modo sibi potuerat tunc temporis attribuere Paulus; unde quàm optimè dixerat, *nondum se apprehendisse aut jam perfectum esse, sed se-ctari, si etiam apprehendat.* Ast, quando v. 15. pergit, *quotquot igitur sumus τέλει κτλ.* rectè dixeris, respicere Paulum, non ad omnimodam & gloriosam illam consummatorum perfectionem, qui jam actu vicerant, & gloriam æternam acceperant in signum victoriæ obtentæ; sed ad perfectionem habitualemente *perfecti Athletæ*, de quo ex Lydio & aliis paulò ante pluscula diximus.

V. Nos, missis antiquitatibus Gymnasticis, (de quibus Paulus dixerat, *γυμνασία corporalis parum utilis est,*) pergimus potius ad ipsum nostræ Exercitationis argumentum, hoc est, ad *γυμνασίαν πρὸς εὐσεβείαν*, cujus quasi tria membra, DEO volente, perlustrabimus: I. Dicemus *de Pietate*: II. intuebimur *Exercentes* in hac palæstra: III. ob oculos ponemus *Exercitia Gymnastica* variorum ordinum & graduum: unde tandem nullo negotio surget plana quædam *γυμνασία πρὸς δόξιν*, quam nobis sacræ literæ tam sanctè commendant, *De-criptio.*

VI. *Pietas* ratione vocis, quàm rei notior est huic seculo. Pia est B. D. JOH. GERHARDI observatio, quam in suo utilissimo opere Germanico, quod titulum *Scholæ pietatis* gerit, (in cujus proæmio dictum Paulinum nostrum egregiè illustratur) pag. 2. nobis reliquit, *Ad pietatem non sufficere fidei jactationem, sed requiri, ut hæc per operum bonorum testimonium publicè probetur.* Cùm autem sine dubio melius simus meritori de Lectore, si cum B. nostro Gerhardo dixerimus, in quo vera pietas sit posita, quàm si prolixè, quid non sit, dixerimus; hinc placet denuo ex eodem referre, quòd pietas in sacris scripturis capiatur dupliciter: 1. *Specialiter & strictè*, pro obedientia filiali quam homines renati DEO præstent secundum tabulam decalogicam primam: (2) *generaliter & latè*, pro obedientia filiali, quam homines renati DEO præstant secundum utramque decalogi tabulam. Dedit pientissimus Theologus signa locorum, in quibus nunc specialis, nunc generalis significatus obtineat. *Specialiter*, inquit, accipitur, quando voci *Pietatis* apponitur vocabulum *Justitiæ, Honestatis*, aut simile, per quod obedientia secundæ tabulæ debita indicatur, & adducit exempli loco dicta Pauli ex *I. Tim. II. v. 2. cap. VI. v. 11. ad Titum N. 12.* De altero differens significatu, monet, vocem *Pietatis* accipi *genera-*

generaliter, quotiescunque ponatur absolute, sine adjecta voce, quæ obedientiam secundæ tabulæ denotet. Huc reducit loca *1. Tim.*, VI. v. 3. & v. 6. ad *Tit.* I. 1.

VII. Quod si nunc oriatur quæstio: quisnam significatus Pietatis h. l. militet? nulli dubitamus adserere cum nostro Gerharo, Pietatem denotare in hac palæstra totum complexum omnium virtutum Christianarum utriusque tabulæ, adeoq; omnem obedientiam, quam filii DEI, suo Patri cœlesti præstant, secundum omnia & singula ipsius mandata.

VIII. Neque tamen jam sufficienter est significatus pietatis, in qua Paulus nos vult exerceri, expressus, si dixerimus, esse pietatem complexum omnium virtutum in decalogo præscriptarum. Quippe non qualiscunque obedientia hic loci spectatur, sed *filialis*, quam soli illi norunt præstare, qui sunt ex DEO nati per fidem. B. Gerharo *cit. loc. pag. 4.* placuit hanc in rem ita loqui: *Damit wir aber desto ordentlicher und klärer anzeigen / was der heilige Apostel durch die Gottseeligkeit / darinnen wir uns üben sollen / wolte verstanden haben / so kan dasselbe füglich in zwey Stuck zusammen gefasset werden / sintemal die wahre / rechtschaffene und Gott wolgefällige Gottseeligkeit begreiffet in sich / erstlich wahre / rechtschaffene Buss; darnach rechtschaffene Früchte der Buss; nemlich Befserung des Lebens / neuen Gehorsam und heiligen Wandel / welchergestalt der Baum samt den Früchten wird zusammen gefasset. Hoc probaturus, fusius & solidè ostendit ex scripturis, vera bona opera nulla esse posse sine fide in CHRISTVM, & fidem veram nullam posse oriri sine peccatorum seria agnitione & vera cordis ob peccata contritione: quæ nos, tanquam aliunde satis nota, & fortè inferius paulò uberius tractanda, ex brevitatis studio, h. l. referre nolumus.*

IX. Plenum interim de pietate conceptum nostrum daturi, paucis dicimus, *Pietatem esse tam habituaalem quàm actuaalem obedientiam, quam homines renati per fidem in CHRISTVM, virtute Spiritus Sancti, DEO secundum omnia præcepta decalogi præstant.*

X. Ex dictis nunc facile poterit patere, quinam ut *Gymnasta seu Exercentes* ad hanc pertineant palæstram: videlicet duplicem homi-

hominum classem huc revocamus : *Primam* eorum , qui poenitentiae seu conversionis prima ponunt tirocinia ; *alteram* eorum , qui , ut jam conversi & justificati , in sanctificationis & renovationis pulvere quotidiano desudant. Quanquam non negemus , priori classi per posterius , posteriori autem per prius , Exercentium , seu in palæstra pietatis Gymnastarum nomen competere. Sed in vocibus sumus faciles. Sufficit utrosque agi à Spiritu DEI ; utrosque etiam exerceri ad normam voluntatis divinæ ; quicquid sit de habituali obedientia , vel etiam de robore fidei , ubi discrimen ingens agnoscimus in recensitis Exercentium classibus.

XI. Potius nunc pergimus ad membrum tertium , cujus superius §. V. fecimus mentionem , nimirum ad ipsa *Exercitia Pietatis* , in quibus nostri Gymnastæ desudare tenentur. Possunt illa variè distingui , prout varia placuerint distinctionum fundamenta. Nam *I. respectu Exercentium* , distinxeris , pietatis exercitia (1) in *Tirocinia* , *luctam conversionis ingressorum* : quò pertinent ingenua peccatorum confessio , serius de peccatis agnitis dolor , fuga sui & seculi , desiderium emergendi ex statu irrogenitorum miserabili , gemitus columbini , consilium de reditu ad patrem , itemque hujus consilii pertinax executio &c. Hæc tirocinia adumbrata fuerunt per posteriora Israëlitarum in Ægypto servientium & exitum molientium facta. (2) In *Exercitia Proficientium* , qualia sunt detectiones impedimentorum in cursu gratiæ & fidei , quæ nunc satanas , nunc mundus , nunc carnis reliquiæ nobis objiciunt , ut in variis hæreamus rebus , quæ suo nos decipiunt fucò , *nunc* sub titulo adiaphororum , *nunc* sub specie etiam mediorum salutis , *nunc* alio nomine. Est etiam , ubi Proficientes discere necesse habent , vera salutis media non rarò reddi nobis multiplici nomine suspecta. Non malè judicant , qui Proficientium hæc Exercitia credunt in mirabili itinere Israëlitarum ex Ægypto per desertum adumbrata. Libellorum huc facientium aliquot vidit nostra ætas , in quibus ex instituto hæc pertractatur materia. Præ cæteris (pauca duriuscula & incommodius dicta si exceperis) nobis arrisit libellus Anonymi cujusdam , inscriptus : *Unsichere Ruben und Lagerstätte / oder falsche Ruben Israelis / Anno 1700. in forma octava impressus.* (3) In *Exercitia τελείων* five *Perfectorum* , quorum est triumphare hostes , & hos extirpare radicitus. Palæstra hæc fuit vividè admodum delineata in bellis Israëlitarum , terram promissionis occupantium. Alio modo dixeris , distingui Exercentium

tium

tium intuitu, Pietatis exercitia, in exercitia *Infantum, Juvenum & Virorum*, secundum distributionem, quam legimus *I. Job. II. v. 12. 13. 14.*

XII. Etsi verò hoc distinctionis fundamentum non sit contemnendum, nec suo careat usu; fatemur tamen etiam, quòd II. Pietatis exercitia possint dispesci *respectu objecti personalis*, in exercitia (1) *erga DEVM*, (2) *erga nosmetipsos*, (3) *erga proximum*. Huc vulgò referunt dictum Pauli tritissimum ad *Titum II. 12.* ubi jubemur vivere, *δουλοῦντες* in DEVM; *σωφρόνους* in nosmetipsos; & *δουλοῦντες* in proximum. Porro III. *respectu regulæ seu normæ* horum exercitiorum, aptè distinxeris eadem in exercitia *primæ*, & in exercitia *secundæ tabule decalogicæ*. Ulteriùs IV. *ratione modi*, alia exercitia huc pertinentia sunt *publica*, alia *privata*: cum qua distinctione non plane recurrit, quando V. alia dicuntur *solitaria*; alia *socialia* &c. Plures distinctiones & distinguendi rationes omittimus.

XIII. Magis e re fuerit, ista notasse, quæ ipsa vox *γυμνάσιον* offert. B. D. Gerhardus loco cit. pag. 7. elicit duo ex ista vocula: Videl. quod *studium Pietatis* debeat esse (1) *spontaneum*, & (2) *quotidianum*. Nam, addit, *in quo quis exercetur, illud sit sponte & quotidie*. Non incongruè ita Gerhardus, cujus verbis nonnihil lucis per varia dicta Biblica ex *Gymnasticis* seu *Agonisticis* desumpta affundere operæ pretium fuerit.

XIV. Postulat Gerhardus, ut Pietas, vi vocis *γυμνάσιον*, sit *spontanea*. Nimirum *coacta ingenia*, ut proverbium tritum habet, ne quidem in naturalibus artibus & disciplinis *respondent*: in Pietatis autem studio omnia præpostera sunt & desperata, quæ non operatur *spiritus filialis*, de quo Paulus *Rom. II. v. 15. 16.* & DAVID *Psal. LI. v. 14.* ex quo *רוח נר' ב'רוי*, (*spiritus spontaneus*), admodum celebris est in scholis Theologorum. Est autem spiritus ille spontaneus, *spiritus Filii DEI*, quem *DEVS* emisit in nostra corda, clamantem: *Abba Pater*, *Galat. IV. 6.* *Attributa* hujus spiritus, per quæ à spiritu fervili distinguitur, sunt (1) quòd operatur ex insito quodam & nativo amore in patrem, cum spiritus fervilis operetur ex timore seu metu pœnz. (2) Spiritus filialis nulla adfectat præmia, nullam mercedem, utpote quæ cupiditas ex philantia nascitur, & fervilis est; sed unicè annitur facere voluntatem patris, quò patri satisfiat ac hujus fiat

B

volun-

voluntas : spiritus fervilis sui magis , quàm domini studiosus est , & ad commoda domini respicit , propter commoda sua atque mercedem , quam inde sperat. (3) Spiritus fervilis est ex monte Sina , in servitutem generans , qui est Hagar. Nam Hagar , Sina Mons est in Arabia , dicente Paulo Galat. IV. v. 24. 25. Videlicet Arabibus Lapis dicitur

ⲛⲁⲃⲥⲃⲁⲗⲏ Hbádscharon, vel sine Nunatione (ut Grammatici Arabes loquuntur) Hbadschar, vel (ex aliorum magis Ebraizante pronunciatione) Hbagar, à radice ⲛⲁⲃⲥⲃⲁⲗⲏ Hbádschara, i. e. impedivit , prohibuit , interdixit , & quidem emphaticè , absoluto opum usu & potestate , qualia interdicta ex judiciis publicis emanare solent in eos , qui meruerunt. Conf. JAC. GOLII Lexicon Arabicum col. 577. Atqui aliunde est spiritus filialis , nempe ex monte Sion , quæ enim sursum est Hierusalem , libera est , quæ est mater omnium nostram , verba sunt Pauli cit. loc. v. 26. Hinc etiam ESAIAS Propheta de Evangelii originibus , tempore N. T. vaticinium daturus , cap. II. v. 3. inquit : De Sion exhibit lex , & verbum Domini de Jerusalem. Eodem in loco , spiritum spontaneum in iis , qui ex Sione illum acceperunt , hunc in modum describit : Confluent , inquit , ad eum , omnes gentes , & ibunt populi multi , & dicent : agite adscendamus ad montem Domini , ad montem DEI Jacob , & docebit nos vias suas , & ambulabimus in semitis ejus. Hæc in genere de spiritu spontaneo , sine quo nullum Pietatis exercitium potest incipi , nedum perfici.

XV. Speciatim huc pertinet ex exercitiis Athleticis τὸ πάντα ἐγχευατένεια I. Cor. IX. v. 25. De ἑγχευατεία illa seu continentia omnimodæ certantium plura apud plures exstant. Consistebat partim in exquisitissima diæta , seu cibi potusque usu lege præscripto ; partim in abstinentia ab omni venere , adeo ut oculos etiam ipsos longè à spectandis puellarum formis , nedum à fœminarum consuetudine corpus animumque cohiberent. Quid ? ne per somnium noctu ludificarentur , laminas plumbeas renibus appendebant. Vide Jac. Lydium cit. loc. cap. III. pag. 9. seqq. & P. Fabrum lib. III. cap. III. pag. 332. seqq. Quod si quæras , quid sit in γυμνασία τοῦ δόξου illa ἐγχευατεία ; responso facilis est ex ore CHRISTI , Matth. XVI. 24. Si quis vult me sequi , ἀπαρνησάτω ἑαυτόν , abneget seipsum ; vel , ut Luc. XIV. 26. verba ἐμὸν πατέρα καὶ μητέρα leguntur , Si quis ad me venit , nec odit patrem suum ac matrem & uxorē & filios & fratres & sorores , præterea autem & animam suam :

NON

non potest meus esse discipulus. Eadem continentia inculcatur I. Job. II. v. 15. 16. Ne diligatis mundum &c. confer JACOB. IV. 4. Qui autem amaverit patrem aut matrem supra me, non est me dignus: & qui amaverit filium aut filiam supra me, non est me dignus, addit CHRISTVS Matth. X. 37. De hac abnegatione sui, seu ἐγκατεία καὶ πάντα in Exercitatione ad Pietatem, pluribus egerunt Viri optimi, B. D. JOH. GERHARDVS cit. loc. libr. II. cap. XIII. & XIV. p. m. 363. seqq. B. JOH. ARNDIVS de vero Christianismo lib. I. cap. IV. IIX. & alibi passim, Adde B. D. MARTINVM GEJERVVM, (qui, citante D. Spener. in Histor. Pietismi p. 20. unde historiam retulit Gottofredus Arnoldus im Leben der Glaubigen p. 565. fateri non dubitavit, daß das Buch ARNDII vom wahren Christenthum ihn zu einem rechten Christen gemacht habe) in aureolo opusculo, cujus titulus: Liebe zu GOTT und dem Nächsten / Diß. XLVI. p. 535. seqq. Ut alios taceam, ex quibus partim laudati triumviri hi profecerunt, partim qui illos secuti sunt, quorum nomina nec cœlum ignorat, nec illi nesciunt, quibus realis magis, quàm verbalis Christianismus placet.

XVI. Porro referimus huc ex Ludis Gymnicis, ὑπομονὴν seu Patientiam eorum, qui exercebantur. Sustinebant æstum & frigus, pulverem, verbera, vigiliis &c. Vide Jac. Lydium cap. IV. V. XIV. &c. Fabrum cit. loc. lib. III. cap. V. VI. VII. p. 238. seqq. Ex scriptis divinis loca huc alludentia sunt, v. gr. I. Corinth. IX. v. 27. ὑπομάζω με τὸ σῶμα, h. e. corpus meum, velut antagonistam, pugnis & cæstibus tundo. Item cap. XIII. 7. Charitas πάντα ὑπομένει omnia tolerat & sustinet. Nec omnino affirmatu absurdum est, quòd huc etiam respexerit Paulus Eubef. VI. 13. quando mentionem fecit ἡμέρας πορνείας, h. e. male dies, & si sunt similia dicta. In Exercitio ad Pietatem hæc Patientia Athletica conspicitur (1) in devoratione laborum & dolorum, quibus crucifixio Adami veteris constat, h. e. supplantatio & extirpatio præjudiciorum & cupiditatum carnalium, Rom. VI. 11, 12. Galat. V. v. 24. I. Corinth. IX. 27. (2) in laboribus charitatis, quos propter DEVM & proximum lubentes sustinemus. Vide I. Corinth. XIII. 7. Apocalyps. II. 2, 3. Conf. Ebr. X. 36. cap. XI. v. 35. seqq. Fufius de his exercitiis egerunt laudati superius Theologi.

XVII. Inter virtutes, quibus Athletæ inhiabant, erat quoque Firmitudo & Immobilitas, ita ut non paterentur se dimoveri ex sua, quæ defendenda erat, statione, ut multis probat Lydus cap. VI. p. 24.

seqq. qui ex scripturis sacris huc revocat loca varia, v. gr. dictum
 Pauli I. Corinth. XV. 58. ubi Corinthii jubentur fieri ἑσπαῖοι, ἀυσταλῖνοι,
 stabiles, immobiles. Conf. I. Corinth. VII. 37. Philipp. IV. 1. Addi me-
 rentur loca Ebr. XIII. 9: Bonum est gratiā cor stabiliri; item Epbes. VI.
 v. 10: Fratres, sitis fortes per Dominum. De eadem virtute cap. IV. v.
 14. 15. etfi sub alio schemate, agit Paulus. Cæterum de hac dixeris
 virtute, quod Paulus de zelo Galat. IV. 18. Bonum est emulari in re bo-
 na semper. Sanè bonum est cor stabiliri, sed non ex carnis, naturæ &
 artis subsidiis, quod hominum irrogenitorum veritatem cœlestem
 jaçantium genio proprium est, verùm Gratiā, ut paulò ante audi-
 vimus loquentem Paulum Ebr. XIII. 9. Pauci hæc satis penetrant.
 Legant tamen, qui volunt, insignem libellam DN. D. SPENERI,
 cui titulus est: Natur und Gnade. Nec inutilis fuerit alter: All-
 gemeine Gottes-Gelahrheit aller gläubigen Christen und recht-
 schaffenen Theologen. Ex DN. D. MART. GEJERI laudato libello
 autem, & quidem ex Ditto XIX. etiam nonnulla excerpere placet.
 Explicat nempe pius hicce Theologus locum Pauli I. Cor. VII. v. 3.
 Si quis diligit DEVM, hic ab eo ἐγνωσται h. e. scire factus est, vel, ut alii
 vertunt, cognitus est; & pag. 209. dicit de nasutulis, qui sine regene-
 ratione quàm acutissimè disputare norunt de doctrina fidei. Es ist/
 spricht er / mit solchen Leuten fast wie mit denen / die ein schärffer
 Gesicht für andern sich einbilden; und dannhero auf Reisen oder
 sonst alles fern entlegene gar genau herzusagen sich unterfangen;
 sehen aber doch wol einen viereckichten Thurn für rund an / oder ei-
 nen Menschen für einen Baum / und wann sie näher dazu kommen/
 müssen sie ihren Irrthum selbst belachen. Also zerdisputiret sich
 mancher in Glaubens-Sachen gar heftig / will bald diß / bald das
 behaupten / und irret dennoch dabey gar gröblich / darum / weil es
 ihm an der Liebe fehlet. Et pag. seq. pergit: Da andere Klüg-
 linge sich nur Weisheit einbilden / so ist hingegen bey einem
 Liebhaber Gottes das rechte Wissen anzutreffen. Gott hat
 ihm mit himmlischem Strahlen den Verstand helle gemacht /
 Er hat ihn durch sein Wort solche Dinge / auch bey seiner Ein-
 falt lernen unterscheiden und fassen / welche Meister Überwitz
 noch nicht einmal verstehet / ob er gleich noch so viel Gewä-
 sches hermachet. Hæc B. D. Mart. Gejerus.

XIX. Denique pertinet ad exercitia Gymnastica *Peritia tra-*
ctandi arma, quibus certandum erat, v. gr. in *Jactu*, ut superius
 ex *Isidoro* §. III. retulimus. Equidem non fuisse necessarium, ut
 jaculatores nudi certarent, monuit *Faber* lib. II. cap. IV. p. 124. sed ta-
 men à plerisque factum fuisse, vel exinde probat, quòd *jaetus* in
 Gymnicis agonibus connumeretur. Quid? etiam cursores ali-
 quando armis fuisse usos, refert idem *Faber* lib. II. cap. XXIII. p. 186.
 ex *Pausina*, qui in *Corinthiacis* h. e. lib. II. p. (edit. cit.) 217. expresse
 scribit: *Sacra Jovi Nemeo Argivi in Nemea faciunt, eiq; certum sacerdotem*
deligunt, & armatis viris, cursus certamina proponunt in ipso Nemeorum
conventu, qui per Brumæ dies celebratur. Idem *Pausanias* in *Eliacis* po-
 sterioribus, h. e. lib. VI. pag. 35. scribit: *Demarato quintâ supra sexa-*
gesimam olympiade, primùm inductus est armaturæ gravis cursus (ὁ τὸ ὀμι-
τε δρόμος) & ea item, quæ consecuta est. *Statua ejus clypeum more nostro-*
rum militum præ se fert, galeâ caput, crura ocreis armata sunt. Factum
 hinc est, ut *JAC. LYDIVS* cit. loc. cap. IX. & seqq. contenderet, ad
 hos respexisse Apostolum Paulum *Ephes. VI. v. 13. seqq.* cui tamen
 doctis ac modestis aliquot dissertationibus in hac Academia, ante tria
 lustra & quod excurrit, insurrexit tunc temporis *Alumnorum No-*
ric. & Oecon. Inspector, nunc autem *Decanus Vffenheimensis* meri-
 tissimus, *DN. JOH. FRIDERICVS DVRRIVS*, vulgarem sententiam
 vindicans, quòd Paulus *Ephes. VI.* respexerit ad arma potius milita-
 ria, quàm Athletica. Sed quicquid sit de loco Paulino. Hoc no-
 bis fixum sedet, inter curas præcipuas Athletarum fuisse, rectè tra-
 ctare arma sua, quibus quandoque certabant. In nostro ad *Pieta-*
tem Exercitio similis obtinet cura. Arma nobis sunt *Preces, Verbum*
Divinum, quin & Sacramenta. Hæc perite & juxta divinum ordinem
 tractare non cuivis contingit. *Petitis, & non accipitis, eo quod malè*
petatis, inquit *JACOBVS* cap. IV. 3. De *Scripturarum abusu* conque-
 ritur *PETRVS II. Epist. III. 16.* quod *indocti & parum firmi eas detor-*
queant in suam ipsorum perniciem. Quid *PAVLVS* de infelici non ex-
 ploratorum successu, qui *Cæna sacra* uri audent, doceat, ex *I. Co-*
rinth. XI. v. 28. seqq. in propatulo est. Hoc ut multiplex periculum
 devitetur, omnino *supplicia* opus est, quam *spontaneam*, non autem
 coactam esse debere, si proficere velimus, rectè dixit *B. GER-*
HARDVS.

XIX. Minus obscurum est, quare laudatus Theologus (quemadmodum supra §. XIII. vidimus,) requisiverit, ut studium Pietatis sit *quotidianum*, h. e. continuum, non per vices interruptum. Communis est observatio, quod in habitibus per crebras actiones acquirendis nihil magis tirones promoveat, quam assidua cura ac pertinax labor. *Omnia conando docilis solertia vincit*, notus MANILII versiculus est. Speciatim autem ad nostrum Pietatis exercitium facit, quod dixit CHRISTVS Luc. IX. 62: *Nemo, qui manu sua ad motam aratro, respexerit à tergo, aptus est regno DEI.* PETRVS etiam idem egregiè inculcat II. Epist. I. v. 5. seqq. in quem locum vide D. Gerhardi meditationem cit. loc. pag. 2. 3. DAVID Psalmo I. § CXIX. *quotidianum scripturarum exercitium graviter urget.* Conf. II. Timoth. III. v. 14. seqq. Pertinet huc etiam illud dictum I. Timoth. IV. v. 16. *Attende tibi ipsi § doctrine: persiste in his: nam id si feceris, § te ipsum servabis, § eos, qui te audierint.* De precibus notum est CHRISTI verbum Luc. XII. v. 1. *Quod oporteat semper orare, nec defatigari.* confer I. Thessal. V. v. 17. *Indefinenter orate.* Hæc & similia loca satis evincunt, rectè urgeri à B. D. GERHARDO id, quod vox *ὑμνάζειν* aliàs involvit, etiam quando de exercitio Pietatis sermo est, nempe ut sit *quotidianum*.

XX. Addimus (quod itidem vox *ὑμνάζειν* importat) *exercitium ad Pietatem*, debere quæri in *actibus* non heterogeneis, sed *homogeneis*, h. e. pietatem debere doceri & disci non methodo Theoretica, sed Practica, sive, quod eodem redit, *praxin Pietatis esse habitualiter acquirendam*, non per nudum verbi auditum, aut speculationes super capitibus fidei & morum, sed potius per operationes *pias & sanctas*, juxta verbi præscriptum susceptas, iteratas, emendatas, suppletas. Secus si instituantur Gymnasmata Pietatis; parturient montes, nascetur ridiculus mus. S. JACOBVS hanc in rem cap. I. v. 23. 24. 25. scribit: *Si quis audiat sermonem, nec eum factis exprimat, hic similis est viro consideranti faciem suam in speculo: consideravit enim seipsum, & abiit, & continuo oblitus est, qualis esset. At qui prospexit in legem perfectam, que est libertatis, & permanserit, hic quum non sit auditor obliviosus, sed effector operis, beatus factus suo erit.* Conf. Matth. VII. 24. seqq. Nimirum, ut optimè dixit B. D. GERHARDVS in schola Pietatis, *Pietas est obedientia legi divine per gratie vires præstita.* Vide, quæ diximus §. VI. seqq. Jam autem planè impossibile est, ut quis

at quis aliter hæc exsequatur officia, quam per ipsam praxin, quia lex non nisi faciendâ præscribit. Scire voluntatem Domini, & non facere, aggravat delictum, ceu novimus ex ore CHRISTI *Luc. XII. 47. 48. Conf. Jacob. IV. 17.* Ergo nihil minus discunt, quam pietatem, qui non nisi in cognitione præceptorum desudant; nihil minus docent, quam pietatem, qui non nisi faciendâ explicant, & ita loco praxeos theoriam nudam, & ne hanc quidem sufficienter tradunt de praxi. Equidem scire nos debere voluntatem Domini, si velimus facere illam; dubio caret: ast ad hoc ut facias Domini voluntatem, non est operosus & curiosus quæstionum apparatus necessarius. Lex Domini (1) est simplicissima, & non est ad praxin unquam commodior à quoquam tradenda, quam si suæ simplicitati nativæ, de DEO super omnia, & proximo, ut nosmetipsos diligimus, diligendis, relinquatur. *Matth. XXII. 37. seqq. Rom. XIII. 9. 10.* (2) Exigit etiam lex non scrupulosam & ex nescio quibus operosis sedibus erutam interpretationem, sed fidei, DEO & ejus sapientiæ, potentis ac bonitati confidentis obedientiam simplicem. Vide Abrahami, DEO, filii immolationem præcipienti, simpliciter credentis & obedientis exemplum *Gen. f. XXII.* Qui illam tenent fidem simplicem, atque ex hac DEO serviunt, puro corde, hi demum sunt verè pii & fideles. Reliqui scrupulosi & ἀσφοδρονῶντες, nō tam *Abrahami*, patris credentium, quam *Achasi*, DEVM tentare (ut ipse judicaverat) recusantis, progenies sunt, & DEVM non colunt, sed offendunt, *ESAIÆ VII. v. 12. 13.* Qui ergo verè pius cupit evadere; is ante omnia discat simpliciter DEO credere & ἀσφείργως obediere. Argutiæ sunt, non pietatis fomenta, quicquid operosè de rebus practicis disseritur, ac contentiosè pro & contra ventilatur.

XXI. Quomodo ergo edocebitur Pietas? Respondeo, planè ita, prout solemus alios habitus praticos docere & discere, h. e. *Exercitio & usu in ipsa praxi*, ubi qui majorem in praxi jam habet peritiã, suis consiliis juvat exercentem minus peritum; operandi modum reapse ostendit; impedimenta imperitiori nondum observata demonstrat & removendi rationem opere ipso declarat &c. Vide quæ diximus in *Disp. περὶ τῆς διδασκαλίας*, sive *de Homine in Ecclesia ad docendum auto*, §. VII. p. 5. seqq. Hic loci illud tantum notamus, quòd *methodus practica alia* fit in libris & institutionibus artificialiter conscriptis, quam *Verbalem* dixeris: *alia* autem fit *Realis*, quæ in opere ipso est adhibenda. De utraque methodo pauca.

XXII

XXII. In *verbalibus* Institutionibus Practicis (*sive* per scripta fiant, *sive* per orationes & sermones) methodus practica est, de qua differuimus in *praefatione ad nostra Supplementa Theologiae moralis Bajerianae*, & quo nomine prā aliis multis *systematibus moralibus* laudavimus B. D. JOH. WILHELMI BAJERI *Compendium Theologiae Morali*. Videlicet, ubi practica practice cupimus etiam in libris & orationibus tradere, cavendum est, ne subsistamus in nuda officiorum explicatione & oppositorum vitiorum declaratione, per sua genera caufarum. Haec enim in Theologia Morali non tam explicanda, quam ex Theologia Positiva, & nominatim ex loco de Lege & Bonis Operibus, vel etiam ex loco de Renovatione & Sanctificatione, potius supponenda & repetenda, quam ex instituto tradenda veniunt. Hoc verò decet Theologum moralem, ut *Motiva, Media operandi, Impedimenta, & rationem Removendi impedimenta &c.* evolvat & ordine deducat, atque bis, tanquam *primariis officii sui partibus, operam suam impendat.* Qui hoc facit, rectius consulit Lectori vel Auditori suo, quam qui tantum dicit, quid sit faciendum, non autem modum faciendi edocet. Notamus interim, quod nobis malè consulatur, si credamus, jam hoc pacto satis fideliter nos edoctos fuisse Pietatis praxin. Si enim substiterimus in hac methodo; egregiè quidem discemus de Pietate dicere, ut homines imperiti credant, nos vel vivos caelitus delapsos; sed in opere ipso ubique hærebit aqua. Quippe eveniet nobis, quod de Rabbino quodam refert Academiae hujus h. t. Magnificus Rector, DN. D. WAGENSEIL, quem venerationis & meritum ergo appello, in *praefat. ad versionem Germanicam Tractatus Talmudici de Lepra*: Wie einst / inquit, ein berühmter und unter den Seinen hochangesehener Rabbiner / in diese Nachbarschaft anlangte / ließ ich ihn ersuchen / er möchte seinen Weg auf hieher nehmen / und wie er kam / fragte ich ihn unter andern / ob er sich getraute mir zu zeigen / wie und auf was Art ehemals das tägliche Brand-Opfer / so in zwey Lämmern / deren man eines frühe / das andere gegen Abends opfern mußte / bestunde / in dem Tempel zu Jerusalem geschlachtet / ausgezogen / das Blut gesprengt / der Leib zerstücket / und die Theile nacheinander auf den Altar zur Verbrennung gelegt worden? Nachdem er sich unterfienge einen Versuch

such

sich zu thun / nahmen wir ein Lamm / legten die Mischnam Tamid, welche von dem täglichen Brand-Opfer handelt / für uns / und wollten nach deren Anleitung verfahren. Allein es fehlte zu allen Seiten / und konnten wir weder hinter sich / noch für sich mit unserm Lamm zurecht kommen. O si multi essent cordati Christiani, qui, quod de Pietate audiunt & legunt, juxta normæ divinæ regulam practicè tentarent, non autem satis negligenter qualibuscunque eventibus essent contenti; quot audituri essemus querelas de invito experimentorum in praxi pietatis successu? Quicquid etiam sit de optimorum libellorum lectione, & auscultatione Oratorum piorum & præstantissimorum, praxeos experte!

XXIII. Quid igitur? Num abjiciemus scriptores practicos aut orationes publicas & generales de Pietate & praxi Christianismi? Absit! Nisi has retinuissemus quasi reliquias sacras Christianismi Apostolici & verè practici, planè ut Sodoma & Gomorra essemus facti. Ad quid igitur querelæ? Huc faciunt, ut intelligamus, quibus applicationum nostrarum practicarum (siquidem doctrina sacra ipsamet in se nullo laborat defectu) supplementis nobis sit opus; non autem quomodo illud, quod boni reliquum est, planè deleamus & extirpemus. Non inquit CHRISTVS Ecclesiæ Sardeniæ *Apocal. III. 2. Abjice, quod habes: sed, Esto vigilans, & confirma cetera, que moritura sunt.* Iniqui proinde censores sunt, qui quod de defectibus praxeos nostræ vulgaris dicitur, explicant in cultus publici destructionem, quum tamen scopus sit potius cultus publici dexterior applicatio, aptior usurpatio & uberior exercitatio.

XXIV. Nempe methodus practica saltem cordatiorum in nostris Ecclesiis Verbi ministrorum, non verbalis modo, verum etiam realis est, cum in verbo virtutis prædicato, tum in ipso opere & directorio exercitiorum actualium pietatis posita. Hæc methodus ita ad ipsos adhibetur vel in magnis etiam cœtibus, ut ministri non tantum capita doctrinarum generalia proponant, sed & urgeant praxin practicè pro extremo suarum virium; vigilando scil. precando, adhortando, instando, & tam verbis, quam vitâ, *δημοσίᾳ καὶ κατ' οἴκους*, ad Pauli exemplum *Actor. xx. v. 20.* prælucendo tum maximè, cum ad quotidianum illudque sincerum Pietatis exercitium in casibus descenditur. Quemadmodum enim in Civilibus pauca sunt controversiæ de Legibus, sed pleræque de applicatione Legum ad facta vel facienda; ita in Pietate facilè conveniemus in generalibus de
C facien-

faciendis ; sed in specialibus casibus & in applicatione generaliter dictorum oriuntur demum sumz difficultates, hæretq; aqua ubiq; hominibus, genuinam instructionem prædicati verbi ad pietatem, tantummodo verbalem, & non simul realem esse debere opinantibus. Hic magistris opus in ipso exercitio, qui suâ experientiâ Christianâ in applicatione verbi divini nos adjuvent. Atq; hoc certè fecerant primi & sincerè pii Christiani in suis *Ecclesiis Domesticis*, quarum exempla plura videfis in DN. D. JOH. FABRICII, venerabilis Regiæ Litteræ Abbatis, ac Professoris illustris Julii primarii, dissertatione de *Ecclesiis Domesticis*, quæ numero octava est in ipsius *Amœnitatibus Theologicis*. Quid itaque fieri velim, ut methodus verè practica & quidem realis servetur, paucis dicam. Videlicet duo præcipuè sunt necessaria : *Primum* est, ut Paterfamiliâs vel quicumque tandem rector fuerit earundem, certas habeat horas, in quibus suorum facta & facienda revocentur sub incudem verbi divini & secundum hocce, practicè emendentur & ordinentur, ac consilia, præcepta, monita &c. pro ratione circumstantiarum domesticis indigis suggerantur. *Secundum* est in Ecclesia Domestica tenendum, ut cordatus Paterfamiliâs suis, quantum fieri potest, vel ipse, vel per alium fidelem & exercitiorum hominem adfit, suos perpetuò ad DEVM ubique venerandum, agnoscendum, & ejus voluntatem sanctè faciendam exhortetur, dirigat & practicè adjuvet ! O beatos, qui ita exercuerint Pietatem realiter & ipso facto ! Hoc enim modo habebimus denuo inter fideles Christianos, quemadmodum quondam Abrahamus in sua familia הַנִּיכָיִם, informatos suos habuerat, *Genes. xiv. v. 14.* Vide, quæ hunc in locum disseruit B. D. BAJERVS in *Aphorismis Theol. Catechet.* §. 7. ubi provocat ad vocem הַנִּיכָיִם *Proverb. xxii. 6.* & ad Rabbinorum morem, quibus סֵפֶר הַנִּיכָיִם est *liber Catechismi*. Sed fortassis hac de re alio tempore fusius.

XXV. Superest tandem *Descriptio Exercitationis ad Pietatem*, quæ huc redierit : *Exercitatio ad Pietatem est hominum ex DEO natorum spontaneus, quotidianus & realis sive practicus nifus, voluntatem Divinam simplici fide per ipsum usum, ex verbo Prophetico & Apostolico vividius semper agnoscendi & ipso opere perfectius exprimendi, ad nominis divini gloriam, nostrique & aliorum in fide CHRISTI ædificationem.*

CAPVT

CAPVT II.

*Objectionibus nonnullis Speciosioribus modestè
satisfaciens.*

§. XXVI.

Polemum caput hocce sistit nobis inter alia dubia, quæ Exer-
citationem ad Pietatem hæctenus delineatam premere posse
videntur, primo loco istud: Christianismum esse habitum
supernaturalem: unde sequatur, temere ad habitum huncce super-
naturalem practicum acquirendum, illud urgeri medium (nempe
usum & exercitationem) quod requiratur ad acquirendos habitus
practicos naturales. *Resp.* Hoc dubium nullam habere consequen-
tiam. Hoc rectè sequitur: Christianismus est habitus supernaturalis;
ergo non acquireretur ut habitus naturalis, quatenus hic naturalis est.
Ab hoc errore abhorret tota nostra dissertatio. Posse autem habi-
tum supernaturalem practicum, non quidem quatenus supernatura-
lis est, sed quatenus habitus est practicus, eodem modo acquiri,
quo acquiruntur alii habitus practici, licet hi fuerint naturales; ni-
hil est absurdum, sed ab ipso PAVLO in nostro textu docetur, & plu-
ribus confirmatur ab Apostolo PETRO II. *Epist. I. v. 5. seqq.*

XXVII. Dubium secundum urget, hanc Exercitationem priva-
tam cedere in præjudicium Scripturæ & Sacramentorum, quasi hæc
non sint sufficientia ad salutem, nisi accedat Exercitatio. *Resp.* Hoc
rursus non sequi. Scriptura & Sacramenta sunt sufficientissima in
se: cum autem non profint, nisi rite usurpata; hinc potius inferen-
dum erat, impugnari abusum mediorum salutis & eorum carnalem
profanationem; nullo modo salutis media ipsa divinitus ordinata,
quæ potius genuino usui suo restituuntur, quem vulgus Christia-
norum penè nescit, & securè operi operato, ac nescio, cui efficaciz
salutiferæ absolutæ Verbi & Sacramentorum immoratur, imo haud
rarò immoritur, quicquid etiam contradixerit pridem ex verbo divi-
no nostra CONFESSIO AVGVSTANA, cujus verba *Art. XIII.* hoc
tempore nunquam satis inculcanda hæc sunt: *Vtendum est Sacra-
mentis ita, ut fides* (quam sanè Beati Confessores non mortuam à
Jacobo

Jacobo damnatam, sed vivam à Paulo prædicatam intellexerant) accedat; quæ credat promissionibus, quæ per Sacramenta exhibentur & ostenduntur. Damnant igitur illos, qui docent, quod Sacramenta ex opere operato justificent; nec docent, fidem requiri in usu Sacramentorum, quæ credat remitti peccata. Quod de Sacramentis h. l. dicitur, id certè etiam est de verbo, Precibus & aliis divinitus ordinatis mediis, quibus gratiam divinam vel offerri petimus, vel offerri scimus, dicendum.

XXIX. Dubium tertium objicit præcipuè Exercitiis Pietatis privatis vilipendium Ministerii publici ex exercitiis privatis esse metuendum: Maximè cum experientia doceat, fieri tales exercentes quasi nasutos, erigere cristas supra pastores, imo aliquando planè ab illis fugere, & abstinere à cultu publico. Resp. Duplicia esse, quæ hoc dubium diluant, prout illud vel de factis quorundam accipitur, vel de eo, quod per se ex Exercitatione ad Pietatem etiam privatim instituta fuit. Posteriori modo si dubium capiatur, negatur consequentia. Vnius enim positio, non est alterius exclusio. Quid? Exercitatio ad Pietatem utrumque cultum, publicum & privatum includit. Sanè præceptum divinum est Ebr. X. v. 25. Ne deseramus aggregationem nostri mutuum. Qui igitur verè pius est, cultui publico ad ædificationem & juxta CHRISTI spiritum instituto nunquam se penitus subtrahit. Quod si autem de factis quibusdam sermo fiat; Resp. De factis judicari non posse, nisi tota sincerè habeatur species facti.

XXIX. Dubium quartum itidem contra exercitia privata, maximè domestica, exaggerat usum à multis retro seculis, quibus hæc exercendi & vivendi ratio fuerit neglecta: Cum autem nemo ausus fuerit omnes illos damnare, qui caruerant his exercitiis; ergo posse nos etiam sine illis hodiernum salvari. Resp. Novisse nos hanc Pontificiorum cantilenam, quam nobis occinunt, Beati Lutheri & Piorum Confessorum temeritatem in Reformationis negotio usurpatam demonstraturi. Sed in nonnullis nostræ Confessionis additis miramur hunc medium terminum, toties à nostratibus optimè elisum, quando contra Pontificios disputant. Sanè, proh dolor! ex antiquo abusu & neglectu officiorum Christianorum plerorumque eò usque sumus delapsi, ut vel impii etiam de Paganismo Christianorum

rum

ram hodierno clamitent & conquerantur. Sint aliqui salvi facti in
 cœtibus, hæcce exercitia privata negligentibus: non tamen ideo se-
 quitur, etiam ipsos ad morem publicum, Pietatis exercitia privata
 seu domestica penitus neglexisse. Pii semper se mutuo adjuvant
 precibus coram DEO, & si possint, etiam consiliis mutuis. Et ces-
 set exercitium Pietatis sociale; sufficit in talibus casibus exercitium
 Pietatis quasi privatissimum & solitarium. Adfit res: de modo non
 contendemus, quòd is necessario semper similis esse debeat. Con-
 cedimus sponte, pro temporum vel Phœbo, vel Nubilis, nunc talia
 Pietatis exercitia magis florere, nunc negligi & quasi cum Ecclesia
 visibili eclipsin pati. Hòc autem observatò, quæ consequentia su-
 pererit in Dubio hocce quarto? Conf. DN. D. FABRICIVM in exer-
 citatione laudata, pag. 327. seqq.

XXX. Hæc, Lector Christiane & Cordate, tecum communi-
 camus, & Tuo subjecimus iudicio, nihil planè Tuz libertati judi-
 candi præjudicaturi. Lege, examina, judica. Si fueris convictus
 veritatis radio; gratias nobiscum age DEO, unico veritatis fonti.
 Si putes, nos esse lapsos; mone, ita tamen, ut & nobis integrum
 maneat Tuorum monitorum argumenta dijudicare. Impium est
 sententias humanas conscientias, ut oracula obtrudere velle. Unus
 est conscientiarum Dominus, DEVS, & unus Legislator, qui solus
 novit rectè unicuique retribuere secundum opera sua. Nos quinam
 sumus, dominium in conscientias mutuum affectantes? Juvemus
 nos mutuò consiliis & demonstratione Spiritus, non tyrannide opi-
 nionum opprimamus.

Additamenta ex B. JOH. VALENTINI AN-
 DREÆ, JACOBI Nepotis, SS. Theol. Doctoris, & in
 Ducatu Würtembergico, cùm viveret, Superinten-
 dentis Pientissimi, MYTHOLOGIA
 CHRISTIANA.

Lib. I. Manip. I. Apologus XIII. p. 12. 13. inscriptus,
 CHRISTIANI.

Religio Christiana cum hostium frequentes minas & assultus for-
 midabiles quotidie audiret suis rebus prospectura, lustrare cives
 & arma eorum explorare decrevit. Ac tum supra fidem instructissima
 omnia reperit. Nam & ingens erat armatorum exercitus & corpora
 roboris

roboris minarumque plena, & arma, quibus expeditissime utebantur, omnia radiantia. Sed cum propius accederet Religio, parum abfuit, quin examinata conciderit. Quod enim ferrum chalybsve credebatur, nugæ erant; gladii ex verborum plumbo, thoraces ex syndone voluptatis, galeæ ex cera vanitatis cristatæ, scuta ex opinionum papyro, hastæ ex conjecturarum arundinibus, vexilla ex araneorum telis Philosophicis confecta, tum tormenta Cannæ Indicæ erant, pulvis semen papaverum, pilæ vitreæ: quæ omnia, venditis tribunorum socordia veris armis, irreperant, ac è contra antiqui etiamnum roboris fidei armaturæque milites ridiculos fecerat. Cum itaque Religio amarè lamentaretur, universa concio bono animo esse iussit: Se enim ad supremum halitum *Fidem* probaturam. At illa: *quid mihi Fides, inquit, vestra proderit, cum opera inultilia erunt? Juro enim vobis, cum olim nudos & inermes in aciem producerem, unum martyrem vel excoriatum præstitisse centum vobis inauratis argentatisque loriceis obductissimis.*

Libr. II. Manip. IV. Apologus XXVIII. p. 182. 183. cui titulus,
PIETAS.

Viderat Pietatem Hypocrisis, illa tetrici vultus sanctula lætam & subridentem tumque nimis doloribus veluti ablatam, aut *extra se raptam* arbitrata: *Hem, inquit, misella, ridere etiam lubet, rebus undique afflictissimis? Tum Pietas: Atqui id meum, inquit, proprium est, semper in Domino gaudere. Et hypocrisis: Nonne enim crucem te ferre decet, id est, dolores? Pietas: Absit à me gloriari, nisi in cruce Domini nostri JESU CHRISTI. H. Et casus varios subire? P. Dominus dat, dominus aufert: sit nomen Domini benedictum, H. Et inopia premi? P. Habentes alimenta, & quibustegamur; his contenti simus. H. Et convicia audire? P. CHRISTVS cum maledictis incessetur, non regessit. H. Et atroces injurias accipere? P. Mihi vindictam; ego rependam: inquit Dominus. H. Et morbis cruciari? P. Justus es, Domine, & rectum judicium Tuum. H. Ab amicis deserui? P. Pater & Mater dereliquerunt me; Dominus autem suscepit me. H. Et graviter tentari? P. In ira, Domine, misericordiam recorderis. Hæc audiens Hypocrisis erubuit, ac se subduxit: Pietas verò hilari fronte DEVM sequi perrexit.*



Qui



Qui verè pius est, punctum tulit omne, sacratae
Cultor Alethæ. Pietas cenodoxa facessat,
Veraque sit præsto, quæ vitæ præmia portat
Hujus & alterius! Sint, *Ambergere*, parata
Hæc tibi, & hæc nobis, sincera mente precamur.

Gratulabundus ascripsit

CHRISTOPHORUS Sonntag/ D.

Ambergere, vocat pietatis aperta Palæstra,
Intra Gymnasium, tenta quid ferre recusent,
Quid valeant humeri, certa certamen acutum,
Contende optatam cursu contingere metam:
Sic te promissis condigna brabia manebunt.

Sponsore acclamante

D. Christoph. Wegleitero.


Esse decet doctum, periturus clamitat orbis,
Sed magis esse pium, subjicit alma fides.
Hæc manet æternum; sed concidit illa supellex,
Quæ magnam partem nil nisi vana fovet.
De Te, Respondens, ex vero testor, Amice:
Esse cupis doctus, sed magis esse pius.

Ita

DN. Respondentis sui bonam mentem
prosequi voluit

PRÆSES.

Est



Est PIETAS, quam pro Cathedra doctæque tueris,
Et, quod plus, vitæ simplicitate colis.
Maçte! utroque Tuis Te commendare Patronis,
Namque & ad hoc, credas, utilis est PIETAS.

*Brevi hoc, at vero testimonio pereximium doctissimumq[ue]
DN. AMBERGERVM bonarum literarum & pietatis
verè - studiosum, bonis omnibus commendat*

JOH. CHRISTOPH. STURMIVS PP.

Perge, quod ex tanto Doctore ac Praside discis,
Exercere: DEO per-quoque-gratus eris.


*Præstantissimo DN. RESPONENTI Amico suo ob so-
lidæ Pietatis amorem studiumq[ue] dilectissimo,
de egregio hoc ingenii specimine animitus gra-
tulatur, Divinam porro Spiritus S. gratiam toto
pectore eidem apprecans*

GEORGIUS PAVLVS RÖTENBECCIUS,
Log. & Polit. Prof. Publ.

Die Übung machet Kunst / auch selbst in denen Pflichten /
zu welchen uns der Geist in seinem Wort verbindt.
Es pranget unser Herg mit reichern Glaubens-Früchten /
wann man erst in der That / Gott treu und wahr erfindt :
Die Liebe wird nicht arm durch Schenken oder Geben /
der Ausfluß selbst vermehrt den Reichthum ihrer Quell :
Und wer im Unglücks-Sturm schon öfters müssen schweben /
des Sinn bleibt / durch Gedult / stets helter / klar und hell.
Wol dem / der diese Kunst durch Übung sucht zu fassen /
und nicht durchs Wissen nur das Meister-Recht erlangt ;
Der wird so hier als dort mit zu der Junffe gelassen /
Die vor des Höchsten Thron / mit Lohn und Kronen prangt.

*Dieses schriebe dem Herrn Respondenten / als seinem
wehrenten Freund / zu Ehren*

M. Gustav Philipp Mörkl / Alumn. Noric.
& Oecon. Inspector.



Datum der Entlehnung bitte hier einstempeln!

21. Nov. 1997

SÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK



2 0489451

3 F 10079

